

FRANCISCI FABRICII MARCODURANI

ANIMADVERSIONES

IN

M. TULL. CICERONIS

DUAS ORATIONES

AD QUIRITES POST REDITUM ET POST REDITUM IN SENATU

EX MANUSCRIPTO *) NUNC PRIMUM EDIDIT

P. I. ELVENICH, Philos. Dr. et Prof.

In orationem ad Quirites post reditum.

Hanc orationem Cicero pro rostris [ad populum habuit P. Cornelio Lentulo Spinthere et Q. Caecilio Metello Nepote C. anno U. C. 696., quo quum Cicero pridie Nonas Septembris Romam ab exilio redisset, postridie, hoc est ipsis Nonis Septembris et Senatui in curia et populo pro rostris gratias egit. Vide Historiam Ciceronis p. 222. [ad annum U. 696.] et deinceps.

Argumentum.

Oratio haec est *εὐχαριστική*, qua primum sibi de re-ditu gratulatur, suamque voluptatem, qua restitutus fruitur, enumeratione rerum laetarum declarat, deinde ad gratiarum actionem magnitudinem beneficiorum acceptorum ostendit atque a voluntate singulari per collectionem trium exemplorum, quibuscum sese confert, amplificat, tum merita magistratuum, principum civitatis et populi in se comme-

*) De hoc Manuscripto plura dicere propositum est in Praefatione ad Ciceronis pro Archia orationem, quam recognitam et eiusdem Fabricii Animadversionibus instructam brevi edemus.

moraus illi summum officium pollicetur, et inimicos se ulturum denuntiat. His addit significationem grati animi cum enumeratione rerum, in quibus gratus sit futurus, atque ita generali ratione gratiae referendae orationem concludit.

C. I. § 1. *) *Quod precatus rel.*) Exordium habet expositionem voti sui et gratulationem ex effectis suarum precum hoc enthymemate: Voti honesti compos factus est Cicero; ergo merito laetari debet. Gratulatur autem sibi, quod, sicut precatus fuerat, omnium iudicio patefactum sit, se omnia pro salute reipublicae gessisse. Precatio conditionem habet oppositione contrarii amplificatam.

a Iove Optimo Maximo) Iuppiter, id est iuvans pater, quem conversis casibus appellamus a iuvando Iovem: a maioribus autem nostris dicitur Optimus Maximus, et quidem ante Optimus, i. e. Beneficentissimus, quam Maximus, quia maius est certeque gratius prodesse omnibus quam opes magnas habere; Cicero 2. de Nat. Deorum.

ceterisque diis immortalibus) Iunone, Minerva, Penatibus, Vesta, quos nominat pro Domo.

Quirites) Quiris hasta dicebatur; nam Romulus erat miles insignis.

devovi) i. e. dedidi. Similis est locutio in oratione pro Domo: *me ac meum caput ea conditione devovi, ut, si etc. si meas rationes — anteposuissem*) Protasis contrarii.

sin et ea — suscepissem) Antapodosis.

scelerati homines et audaces) P. Clodium, L. Pisonem, A. Gabinium et ceteros eius factionis homines intelligit, de quibus infra plura.

id in me unum potius — deflecterent) [Sic Fabricius

*) Editionem Ernestianam contulimus, simul lectiones, quibus Fabricius ab Ernestio discedit, adiecit.

pro in me uno — deficeret.] *deflecterent*, id est detorquerent, derivarent.

Patres Conscriptos) Senatores Romulus primum centum ex patriciis elegit, quos a curae similitudine Patres appellavit, ut Sallustius in Catilina scribit, atque in novum Senatum lectos Patres Conscriptos, Graece *πατέρας ἐγγράφους*, nominavit, quam appellationem in Senatu ad suam usque aetatem mansisse Dionysius lib. 2. testatur.

eius devotionis rel.) Sequitur effectus precum, in quo se devotionis esse convictum dicit, quia patefacta iam erat devotionis conditio, et ex reditu constabat Ciceronem salutis publicae causa omnia fecisse. *devotionis — convictum*, id est: eo voto me esse damnatum. Virgil.: *damnabis tu quoque votis*.

consensu Italiae) nam totius humeris Italiae dicit se reportatum.

Ibid. §. 2. *Et, si nihil est homini* rel.) [Sic Fabric. pro *Etsi homini nihil est*.] Prolepsis ad declarandam voluptatem, qua restitutus fruatur, per collationem fortunae secundae et adversae, quam maioris voluptatis causam constituit.

secundus vitae sine ulla offensione cursus) [Sic Fabric. pro *secundo — cursu*.] Allegoria a navigantibus et cursu maritimo. Secundi venti dicuntur, quod sequuntur navigantes.

Quid dulcius rel.) Declarat superiorem collationem particulari enumeratione rerum laetarum, ex quibus restitutus iam maiorem quam antea voluptatem capiebat. Primum membrum est de liberis, in quos amoris summi causas duas proponit.

Ibid. §. 3. *Nihil cuiquam* rel.) Secundum membrum enumerationis de Quinto fratre, qui Cicerone in exsilium profecto ex Asia Romam rediit. Vide Historiam Ciceronis p. 208. [ad annum U. 695.]

quam et tum, cum carebam, et posteaquam) [Sic Fabric. addita particula *et* ante *tum*.]

Res familiaris rel.) Tertium membrum est de bonis, quae Cicerone in exilium eiecto direpta et ad Consules Pisonem et Gabinium delata fuerunt. Vide Plutarchum et Hist. Cicer. p. 205. [ad annum U. 695.]

reliquae meae fortunae) id est bona a Clodio relicta. Lambinus legendum putat: *reliquiae mearum fortunarum.*

quam tunc incolumi afferebant) Turnebus lib. 23. c. 4. Adversariorum ex libris vetustis probat recte legi: *quam tunc incolumitates afferebant*, et interpretatur *secundam et prosperam fortunam, facultatesque solidas et incolumes salvasque*. At incolumis suas integras, non reliquas residuasque fortunas habet.

Amicitiae rel.) Quartum membrum multiplex multarum rerum laetarum congerie comprehenditur.

clientelae) clientum multitudo et officium. Cliens dicitur quasi colens patronum.

Ibid. §. 4. Iam vero honos rel.) Quintum membrum item per congeriem aliorum adiunctorum, quae propius inhaerent.

Ipsa autem patria — habeat) Sextum membrum de patria, cuius voluptatem primum exclamatione auget.

quae species Italiae! rel.) Declarat patriae voluptatem enumeratione particulari, cuius membra ornantur repetitione et interrogatione.

quibus ego omnibus rel.) Concludit enumerationem et maiorem voluptatem patriae post restitutionem similitudine declarat.

sed tanquam bona valetudo — delectant.) *Voluptatem omnem dat rarior usus*; Poeta. — Sententia quoque est Platonis, aegrotantium maiores quam benevolentium voluptates esse.

C. II. §. 5. *Quorsum igitur haec disputo?*) Prolepsis de fine superioris disputationis, quem ad beneficiorum magnitudinem multitudinemque accommodat; eamque hyperbolice per collationem minorum auget.

liberosque nostros.) [Sic Fabric. pro *et liberos nostros.*]

A parentibus rel.) Declarat magnitudinem beneficiorum distinguendo ea in tria genera ex tribus efficientibus. Primum est parentum, quorum beneficium in tribus partibus, se, fratre et republica propositum Quiritum beneficio postponit.

id quod necesse erat) scil. parvum procreari.

a vobis natus sum consularis) Turnebus lib. 23. cap. 4. ex hoc loco probat veteres credidisse, non solum se nasci eo die, quo in lucem venirent, sed etiam quum in republica honores amplissimos, ut consulatum, consequerentur. Sic Cotta apud Sallustium se bis genitum dicit.

spectatum et incredibili pietate cognitum) Vide orationem post reditum in Senatu.

Rempublicam — quae paene amissa est) Amissam paene iis temporibus rempubl. C. Marius, qui de Iugurtha triumphavit, conservavit, ut infra.

a vobis eam recuperavi) [Sic Fabricius pro *iam recuperavi.*]

unius opera) mei Consulis.

Dii immortales rel.) Secundum genus beneficiorum a diis acceptum in una specie exponitur, addita comprehensione generali.

nisi vestra voluntas fuisset) Monet Lambinus, fortasse legendum *affuisset*, vel, ut quaedam habebant exemplaria, *favisset*, se tamen nihil immutare.

Vestros denique honores rel.) Tertium genus a populo profectum in magistratibus, quos omnes Cicero multis suffragiis suo anno fuit adeptus, ut scribit lib. 2. de Off. et Agraria 2.

ut, quantum antea parentibus rel.) Concludit beneficium ex effectis per collationem parium.

universim cuncto populo Rom, debeamus) *Universim*

restituit Lambinus: nisi quis, inquit, malit legi *universe*; sed longius abierit ab antiqua scriptura.

Ibid. §. 6. *Nam quum in ipso beneficio* rel.) Amplificat beneficia ab adiuncta voluntate populi in conferendo, quam singularem fuisse collatione trium exemplorum minorum declarat.

in studiis vestris) scil. conferendi beneficii.

C. III. §. 6. *Non pro meo reditu, ut* rel.) Protasis exemplorum, quorum primum est de Popillio Laenate, qui Consul anno 621. Ty. Gracchi amicis civitatem ademit. Quare cum C. Gracchus postea Tribunus legem tulisset, ut, qui civi indemnato civitatem ademisset, de eo populus iudicaret, Popillius ultro in exilium abiit; Plutarchus in Gracchis.

non, ut pro Q. Metello.) Secundum exemplum de Q. Metello Numidico, de cuius exilio vide Histor. Cicer. p. 18. et 19. [ad annum U. 653.]

spectata aetate filius) Fuit hic Q. Caecilius Metellus Pius, qui Consul cum Sulla fuit anno 673.

L. Diadematus consularis) [Negandi particulam non agnoscit Fabricius neque ante hoc nomen, neque ante proxima C. Metellus, Censorius, eorumque liberi rel.] *Diadematus non Dalmaticus* legendum probat Lambinus lib. Memmiano, Fastis Historicis, etiam Plinio lib. 7. c. 44. Fuit autem Macedonici filius, Consul cum Q. Scaevula a. 658.

Q. Metellus Nepos) Hic Q. Caecilius Metellus Numidicus cum Q. Cincio Caprario suo patrucele Censor fuit anno 651., ut est in Fastis.

qui tum consulatum petebat) quum Numidicus rediit ab exilio. Gessit consulatum cum T. Didio anno 655.

Luculli) L. Lucillum de sororibus Numidici natum tradit Plutarchus.

aut Metellorum liberi) *Metellarum* legit Turnebus,

ut de sororum filiis intelligas, nam Metellorum liberi sunt et ipsi Metelli. — De sororibus Numidici 24 liberi.

Quod si ipsius rel.) Amplificat secundum exemplum collatione caussarum efficientium reditus Metelli.

fili pietas) unde Pius cognominatus est.

adolescentium squalor) qui flentes ac sordidati populo Rom. supplicaverunt, ut est in oratione sequenti.

Ibid. §. 7. *Nam C. Marii, qui* rel.) Tertium exemplum superiorum dissimile de C. Mario, quem Sulla urbe expulit. Vide Histor. Cicer. ad annum 655.

tertius ante me consularis) Secundus consularis exsul ante Ciceronem videtur fuisse Cotta, de quo in oratione Ciceronis ante exilium ad Equites. Consul fuit anno 679.

Non enim ille rel.) Declarat dissimilitudinem oppositione caussarum dissimilium, quibus Marius restitutus fuit. [In proximis Fabricius legit *dissensu* pro *discessu*.]

Me autem rel.) Apodosis exemplorum, in qua Pisonis generi et Q. fratris merita in se praedicat, quos soles se dicit habuisse deprecatores.

C. Pisonis) De hoc Cicero epist. 3. lib. 1. ad Atticum: *Tulliolam C. Pisoni L. F. Frugi despondimus*. Decessit hoc tempore: quare illi fructum pietatis suae neque a Cicerone neque a populo Rom. ferri licuit; pro Sextio. Etiam in oratione in Vatinius cognoscitur eum Cicerone exsulante decessisse.

inaudita auctoritas atque virtus) [Sic Fabricius pro *pietas atque virtus*. Vocem *inaudita* interpretatur *nova*.]

Ibid. §. 8. *Frater erat unus, qui* rel.) Amplificat merita ex adiunctis et effectis, quibus singularis amor et pietas declaratur.

renovaret) Philipp. 1: *Atheniensiumque renovavi vetus exemplum*. Quidam *revocaret* legunt.

si vos me sibi — seiunctum) Repetit verba fratris ad singularem amorem fraternum significandum.

sepulcro) Cicero docet in Oratore *sepulcrum* esse scribendum sine aspiratione.

Pro me rel.) Alia amplificatio eorundem meritorum ex collatione factorum dissimilium.

vestem mutaverunt) ad luctum publicum declarandum. Vestem Romani in publico luctu mutabant, ut Plutarchus in Lucullo scribit. Cicero pro Domo: *Senatum et omnes bonos meae salutis caussa mutata veste vidi*. Lege Historiam pag. 201. [ad annum U. 695.]

pro absente) [Sic Fabric., omissis vocc. *eodem* et *me.*]

Unus hic, qui rel.) [Hunc locum cum Lambino sic legit Fabricius: *Unus hic, qui domi posset esse mihi aetate filius, in foro pietate item filius inventus est, beneficia parens, amore idem, qui semper fuit, frater.*]

Nam coniugis rel.) Prolepsis de uxoris et liberorum moerore, quem tectum et occultum fuisse ex adiunctis loci ostendit.

C. IV. §. 8. *Quare hoc maius rel.*) Concludit collationem dissimilitudine caussarum, quibus ab exilio restitutus fuit.

multitudini propinquorum) ob multorum propinquorum preces.

Ibid. §. 9. Sed quemadmodum propinqui rel.) Transit ad aliam dissimilitudinem suae restitutionis et trium superiorum, in cuius protasi ea, quae dicta sunt, commemorantur.

sic, illud, quod — superarem) Redditio, in qua ea, quae dicenda sunt, proponuntur. — *dignitate* i. e. *auctoritate*.

Nunquam de P. Popillio rel.) Protasis dissimilitudinis repugnantibus ita amplificata: Non a Senatu, sed a Tribunis et exercitu.

Ibid. §. 10. Tribunitiis superiores illi rel.) P. Popillium vi C. Gracchi expulsum L. Bestia sua rogatione restituit, ait Cicero in Bruto. Metellam unius Tribuni pl. rogatio

revocavit; epist. 9. ad Lentulum. — *superiores illi i. e. victores*, Popill., Metell., Marius.

at de me ut valeret rel.) Antapodosis proximae dissimilitudinis, in qua Senatus merita in perfectione restitutionis suae commemorat. — *valeret*, scil. memoria rerum gestarum.

Nullus in eorum reditu rel.) Tertium dissimile ad commemorationem beneficii ab Italiae oppidis accepti.

Illi inimicis interfectis rel.) Quartum dissimile ad voluntatem et studium populi pertinet, cum ne inimici quidem reditum eius impedire potuerint.

ego iis (sc. Consulibus), *a quibus eiectus sum, prov. obtinentibus*) Pisonem et Gabinium significat, quorum ille Macedoniam, hic Syriam obtinebat, ut est in oratione de Provinciis consularibus,

inimico autem altero consule, optimo viro et mitissimo) [Sic Fabricius.] Q. Metellum Nepotem intelligit, qui Ciceroni vel maxime ex magnis contentionibus reip. fuerat inimicus, permotus cum auctoritate Senatus, tum P. Servilii incredibili gravitate dicendi, cum M. Tullio rediit in gratiam absens; post reditum in Senatu, pro Sextio et de Provinciis consularibus.

altero Consule referente) Lentulo Spinthere.

cum is inimicus (P. Clodius), *qui ad meam perniciem vocem suam communibus hostibus* (vestris et meis) *praebuisset*) scil. cum de meo exilio roagationem tulit.

infra omnes mortuos amandatus esset) deteriore conditione quam mortui redditus esset. Sic pro Quinctio: *Is non solum ex numero vivorum exturbatur, sed, si fieri potest, infra etiam mortuos amandatur.*

C. V. §. II. *Nunquam de P. Popillio* rel.) Quinctum dissimile ad Consulum merita declaranda. Fuit autem Opimius Consul anno U. C. 652, quo C. Gracchus interfectus fuit.

M. Antonius, homo eloquentissimus (orator, qui disputat l. 2. de Orat.) *cum A. Albino collega*) De his Consulibus vide Historiam pag. 20. [ad annum 654], ubi hic locus citatur et illustratur.

at pro me rel.) Redditio proximi dissimilis per distinctionem Consulium duorum annorum, quorum priores ut desertores officii ironice notat. [*flagitati sunt* legit Fabric. *pro efflagitati.*]

quod alter mihi affinis erat) L. Piso, eo quod Tullia nupsisset C. Pisoni.

alterius caussam capitis receperam) de repetundis defendendo. Cicero pro Rabirio testatur, se Gabinium ex maximis inimicitiis receptum in gratiam summo studio defendisse. Vid. Histor. pag. 56. et 57.

qui provinciarum foedere irretiti) Piso et Gabinius cum Clodio pacti erant, ut ipsi rempublicam illi proderent, et pro eo provincias maximas acciperent. Postea fregit foedus Gabinius.

Kalendis vero Jan. rel.) Alteram membrum distinctionis, in quo Lentuli summum studium in Ciceronem praedicatur. Idem locus est in sequenti oratione, et citatur in Historia pag. 215. [ad annum U. 696.]

legitimi tutoris) qui legitime ad eius tutelam vocaretur.

deus) Sic in oratione ad Senatum et pro Sextio Lentulum deum ac parentem etiam nominat.

salus nostrae vitae) [Sic Fabric., et *salus* interpretatur *conservator.*]

de sollenni religione retulit) id est, proposuit Senatui decernendum, quid de religione, quae quotannis observabatur, sentiat. — *sollenni* i. e. ordinaria. Veteres *sollum* dixerunt integrum et totam, hinc *sollennis*.

Ibid. §. 12. *Atque eo die rel.*) Amplificat studium Lentuli a caussis, quibus impeditum fuit,

nisi is Tribunus plebis) qui Kalendis Januarii interces-

sit, Sex. Atilius Serranus nominatur pro Sextio et ab Asconio in Pisoniana,

quem ego — *Quaestorem Consul ornaveram*) scil. 6. anno ante.

orarent) scil. ne intercederet.

et Cn. Oppius socer) Hinc epist. 2. lib. 4. ad Atticum: *Serranus pertimuit, et Cornicinus ad suam veterem fabulam rediit, qui tum abiecta toga se ad generi pedes abiecit*, ubi Oppium significat; nam Cornicinis Oppiorum cognomen fuit.

quae deliberatio — in augenda mercede consumta est) Sic pro Sextio: *Illi interea deliberatori merces longa interposita nocte duplicata est.*

non in reddenda) scil. a Clodio, a quo emptus erat.

Postea res acta est rel.) Persequitur impedimenta continuatione temporis a Kalendis Januarii ad Kalendas 8. Februarii, qui fuit dies consilii agendi de Cicerone, ut est in Sextiana. Vide et Histor. pag. 214. [ad annum U. 696. — Proximum locum cum Lambino sic legit Fabricius: *et, cum variis rationibus (Senatus) impediretur, voluntate tamen (Kalendis Jan.) perspecta Senatus, caussa ad vos (Quirites) mense Jan. (8. Kalendas Febr.) deferebatur.*]

Ibid. §. 15. *Ego, cum homines* rel.) Proponit dissimilitudinem consiliorum suorum et inimicorum ad amplificandam caedem, quae 8. Kalendas Februarii facta, et qua reditus ipsius fuit impeditus. In protasi copiose enumerat causas, cur in exilium abierit.

in tribunali Aurelio) in foro, ubi erat tribunal. Aurelii tribunalis meminit quoque Cicero pro domo, pro Sextio et in Pisonem, ubi, cum servorum delectum pro Aurelio tribunali habitum dixisset, paulo post ait: *cum servorum delectus haberetur in foro.*

ex ea parte) i. e. ex optimatibus.

mihî inviderent) ut Hortensius et Arrius.

sibi timerent) ut Pompeius.

aut proditores — aut desertores) Sic in oratione, quae sequitur: cum viderem me a Senatu partim proditum partim derelictum.

auctores) Auctor is dicitur, a quo ius, consilium et principium agendi habetur, ut epist. 6. lib. 10. ad Famil.: Te Senatui bonisque omnibus auctorem, principem, ducem praebeas.

hostibus deditissent) [Sic Fabric. pro deditissent.]

cum Senatus — vetarentur) Sic pro Sextio: cum subito edicunt duo Consules, ut ad suum vestitum Senatores redirent. Et in Pisonem: edicere est ausus cum illo suo pari, ut Senatus, contra quam ipse censuisset, ad suum vestitum rediret.

cum omnium — sancirentur) Respicit morem ferendorum foederum, quae hostiarum sanguine confirmantur: unde hostiae ab Homero Iliad. 3. θεῶν ὀρῆα πίστα (firma sacramenta deorum) vocantur.

quod et vincere et vinci — putavi) Pro Domo: Si vi et armis contra vim decertare voluissem, aut vicissem cum magna interneccione improborum, sed tamen civium, aut interfectus bonis omnibus una cum repub. concidissem.

C. VI. §. 14. *Itaque cum rel.)* Colligit ex redditione approbationem sui consilii, atque ex adiunctis ita concludit: In qua civitate nulla respublica erat, ibi mihi locum esse non putavi: Romae cum ego discessi, nulla respublica erat; ergo mihi tum Romae locum esse non putavi. Assumptio praecedat.

Ego autem, in qua rel.) Ratio assumptionis ex adiunctis et factis pugnantis cum republica.

omnis esset impunitas) id est, omnis permitteretur licentia.

cum privati se rel.) Pompeium intelligit per enallagen numeri ad amplificandum: de quo in Histor. Cicer.

pag. 210. [ad annum U. 695.] et de Tribunis vulneratis pag. 214. [ad annum 696.]

ad magistratuuum domos rel.) Sic in Senatu: *cum magistratuuum tecta oppugnata, deorum templa inflammata, summi viri et clarissimi Consulis fasces fractos vidistis, Milonis autem domus oppugnata fuit; pro Sextio.*

remp. nullam esse putavi) [Sic Fabric.]

Itaque nec [Sic Fabric. pro neque] *republica rel.)* Propositio syllogismi aucta significatione certae spei, quam de suo reditu habuerit.

Ibid. §. 15. An ego, cum mihi rel.) Confirmat spem propositam inductione speciali illorum, quorum opera et beneficio restitutus fuit. Primum membrum est de Lentulo.

Aedilis curulis) P. Lentulus Cicerone Consule Aedilis magnificentia omnes superiores vicit; 2. de Off.

confectum consularibus vulneribus rel.) Elegans oratio allegorica est

collega autem eius) Metello Nepote. De hoc vide supra et Histor. Ciceronis pag. 217. [ad annum 696.]

reliqui magistratus) Praetores, Aediles, Quaestores, Tribuni.

paene omnes) paene recte addit: nam ex Praetoribus unus Appius Clodii frater, de Tribunis duo S. Attilius et Numerius Quinctius alieni fuerunt; Asconius in Pisonianam. Lege et pro Milone.

ex quibus excellenti animo, virtute, auctoritate praediti [sic enim Fabricius] *T. Annius et P. Sextius)* Horum utrumque Cicero postea defendit, et orationes scriptas edidit, quae pro Milone et Sextio extant.

praestanti — studio) Hanc benevolentiam et studium copiosius explicat Cicero post reditum in Senatu.

uno dissentiente) Clodium hic significari indicant illa verba pro Domo: *cum de mea dignitate in templo Optimi Max. Jovis Senatus frequentissimus uno isto dissentiente*

decrevisset. Et in orat. post redit. in Senatu: dissensit unus is, qui sua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putabat. [Paulo post ita legit Fabricius: dignitatem meam verbis quam potuit amplissimis ornavit.]

Ibid. §. 16. Ita me nudum rel.) Iterat commendationem voluntatis et studii in restituendo, quam supra collatione trium exemplorum declaravit.

producti ad vos (in concionem) ab eodem (Lentulo) non solum rel.) Privatis enim non licebat de superiore loco dicere et concionem habere, nisi a magistratu concederetur. Vide Ciceronem in Vatinium.

C. VII. §. 16. *Quorum princeps rel.)* Praedicat separatim studium et beneficium Pompeii, eiusque personam ex adiunctis per collationem minorum ex distributione triplicis temporis ornat.

virtute, sapientia, gloria princeps) [Sic Fabric.]

qui mihi unus rel.) Auget beneficium a Pompeio acceptum comparatione parium et expositione tripartitae orationis, qua ille ad populum de Cicerone usus est.

Cuius oratio rel.) De hac oratione vide Historiam pag. 218. [ad annum 696.] De eadem Cicero pro Sextio: *huius oratio et pergravis et grata concioni fuit.*

Primum vos docuit rel.) Prima pars continens expositionem cum defensione beneficiorum Ciceronis.

hortatusque est rel.) Secunda pars habens cohortationem ad Ciceronem restituendum.

auctoritatem Senatus) qua de coniuratis supplicium sumtum fuit.

tum in perorando posuit rel.) Tertia pars continens deprecationem Anaphora ornatam et amplificatam.

non rogavit solum, verum etiam obsecravit) Sic pro Domo de Pompeio: Idem cum dixisset, tum etiam pro salute mea populum Romanum obsecravit.

Ibid. §. 17. Huius consilia rel.) Praedicat rursus po-

puli beneficium cum auctorum mentione, idque ex adiuncto comitiorum genere auget.

Eodem tempore audistis rel.) Addit ad Pompeii beneficium testimonia principum civitatis. Primum testimonium generale est Consularium et Praetorium.

Itaque cum P. Servilius rel.) Secundum testimonium singulare generali confirmatum. Fuerat autem Servilius Consul cum Appio Claudio Pulchro anno U. C. 674. Vide Historiam Ciceronis.

Sed audistis eo tempore rel.) Tertium testimonium item singulare L. Gellii, qui cum Cn. Lentulo Consul fuerat a. 681. Vide Historiam Ciceronis.

suam classem attentatam) i. e. sollicitatam. Habuit L. Gellius classem cum Cn. Lentulo collega ad Italiam: cui bello Piratico a Cn. Pompeio fuerat praefectus, ut mare Thuscum obsideret; Appianus in Mithridatico et Florus lib. 5. cap. 6.

C. VIII. §. 16. *En ego rel.)* Concludit suum reditum enumeratione caussarum, quas exposuit, cum approbatione deorum et pollicitatione grati animi in populum et rempublicam.

diis denique immortalibus frugum — comprobantibus) Sic pro Domo: *Cum de mea dignitate in templo Jovis Opt. Max. Senatus frequentissimus uno isto dissentiente decrevisset, subito illo ipso die carissimam annonam nec opinata vilitas consecuta est.*

Primum, qua sanctissimi rel.) Prior pars pollicitationis; in qua summum officium populo Rom. promittit, et parium collatione auget.

deinde quoniam me rel.) Altera pars, in qua studium suum reipub. promittit ex ipsius in se meritis.

Ibid. §. 19. Quod si quis existimat rel.) Prolepsis occupat opinionem timiditatis abiectique animi post exsilium, quam inficiatione tollit.

mihī quod potuit rel.) Confirmat inficiationem dissimili collatione honorum fortunae et virtutis, e quibus illa erepta erant, haec manebant.

Vidi ego rel.) Alia confirmatio per collationem similis exempli, C. Marii, de cuius exsilio vid. Histor. pag. 45. [ad annum 665.]

cum iis [sic Fabric. iis pro his], qui rel.) i. e. cum hostibus huius urbis et imperii.

cum tamen vidi) Repetitio ad perspicuitatem perti-
nens, qua oratio interpositione interrupta continuatur.

infracto animo) *Fracto et infracto animo* idem valent apud Ciceronem. Item *infractio* et *demissio quaedam animi* in 3. Tusc.

Ibid. §. 20. quem egomet dicere audivi) Approbat exemplum testimonio ipsius Marii, qui locus totus adducitur in Historia Ciceronis pag. 46. [ad ann. 665.]

obsidione liberasset) Cimbrorum et Teutonorum. Sic pro Rabirio ait, Marius obsidione rempub. liberasse, et Catilinaria 4. de eodem: *qui bis Italiam obsidione et metu servitutis liberavit.*

adolescentem filium) Hic a Plutarcho νεοῦ Μάριος appellatur: nam tum viginti annorum fuit: nam sexto anno post cepit consulatum, natus annos viginti sex, ut est apud Plutarchum. Vide Histor. pag. 63. [ad ann. 671.]

travectus in Africam. [Sic Fabric. pro *traiectus.*]

quibus regna ipse dederat) scil. devicto Jugurtha. Regem Numidiae, ad quem supplex Marius venit, Plutarchus Hiemsalem nominat. Meminit eiusdem Dio lib. 41.

Sed hoc inter me rel.) Corrigit collationem similis exempli duplici dissimilitudine, quarum prior est de diversa ratione ulciscendi inimicos. [In proximis ita legit Fabric. *ego, qua consuevi, utar pietate.*]

quoniam illi arti rel.) Ratio prioris dissimilitudinis ex utriusque rei subiectis propriis, quae inter se opponuntur.

Ibid. §. 21. *Quamquam ille* rel.) Altera dissimilitudo continens diversam cogitationem de inimicis ulciscendis. Pro *quamquam* Manutius *quodque*.

C. IX. §. 21. *Denique, Quirites, quoniam* rel.) Declarat suam rationem ulciscendorum inimicorum distributione in quattuor partes ex totidem ipsorum generibus, quae describit.

unum eorum, qui rel.) Primum genus est malorum civium seu hostium reipub., quo Clodiani praecipue comprehenduntur.

alterum, qui rel.) Secundum genus perfidorum, de quibus epist. 3. lib. 1. ad fratrem: *quantum Hortensio credendum sit, nescio: me summa simulatione amoris summaque assiduitate quotidiana sceleratissime insidiosissimeque tractavit, adiuncto quoque Arrio.*

tertium, qui rel.) Tertium genus invidorum.

quartum, qui rel.) Quartum genus est duorum Consulium, Pisonis et Gabinii, qui emti pactione provinciarum Ciceronem prodiderunt.

cum custodes — debuerunt) [Sic Fabric., non *deberent*.]

sic ulciscar singula genera) [*singula genera* legit Fabric., non inverso ordine.] Relatio similitudinis in ulciscendis quattuor generibus, quae descripsit.

revocando domum) Hoc fecit anno sequenti habita in Senatu oratione illa, quae est de Provinciis consularibus.

Ibid. §. 22. *Quamquam mihi quidem —, quemadmodum vobis* rel.) [Sic Fabric.] Correctio ad augendam grati animi significationem per comparisonem minorum.

Etenim cum ulciscendae — exaequari: tum rel.) [Sic Fabric.] Ratio correctionis ab adiuncta facilitate ulciscendi inimicos et contraria difficultate referendae gratiae.

tum etiam ne tam necessarium rel.) Altera ratio ab adiuncta necessitate maiori in referenda gratia bene meritis quam malis.

Ibid. §. 23. *Odium vel precibus rel.*) Explicat proximam rationem enumeratione caussarum, quibus ulciscendi ratio impediri potest, gratiae autem referendae non debet.

neque exorari fas est, neque id reip. repetere necesse est) [Sic Fabric.] Additur hic in quibusdam particula *utcumque*, ut sit *utcumque repetere*, quod est temere et quacunque de causa petere, ut sibi concedatur beneficii memoria et gratia ne referatur.

Postremo qui rel.) Tertia ratio ab adiuncta laude ultionis praetermissae et vituperatione gratiae neglectae, quam maiorum collatione auget. [In proximis Fabric. legit *beneficiis — renumerandis pro remunerandis.*]

Atqui officii persolvendi dissimilis est ratio, et pecuniae debitae: propterea quod — dissolvit.) [Sic Fabricius legit hunc locum ab Ernestio uncis inclusum.] Amplificat dissimilitudine pecuniae et gratiae, quam pro Plancio sic effert: *Dissimilis est pecuniae debitio et gratiae. Nam qui pecuniam dissolvit, statim non habet id quod reddidit, qui autem debet, is retinet alienum: gratiam autem et qui refert, habet, et qui habet, in eo ipso quod refert, habet.* Lib. 2. Offic. indicat aliunde sumta esse.

gratiam et qui retulit, habet) eo, quod post relatam gratiam gratum se praestare contendit.

et qui habet, dissolvit) Animus enim gratus loco remunerationis habetur.

C. X. §. 24. *Quapropter memoriam rel.*) Epilogus orationis constans promissione grati animi per comparationem maiorum.

sed etiam dum mortuo — permanebunt) [Sic Fabric. pro *cum mort.*] id est, quamdiu mihi mortuo ulla indicia existent.

In referenda autem gratia rel.) Enumerat particulatim res, in quibus gratus sit futurus, et enumerationis membra inter se paria miram concinnitatem habent.

in sententia simpliciter dicenda) [Sic Fabric. pro referenda.] *simpliciter* i. e. aperte, sine ulla simulatione.

in hominum voluntatibus pro repub. laedendis) in resistendo iis, qui contra rempub. aliquid volent.

Ibid. §. 25. *Atque haec cura rel.)* Ad extremum addit generalem clausulam, qua omnem rationem gratiae referendae complectitur.

cunctis suffragiis indicavit.) Quibusdam hic videtur legendum *iudicavit*. Sed *indicavit* non damnat Lambinus: nam indicare et declarare quippiam suffragiis ita dicitur, ut oraculis et vaticinationibus.